



## The Holy See

---

**IOANNES PAULUS PP. IILITTERAE APOSTOLICAE***PER LITTERAS* DE CORONATIONE IMAGINIS B. M. V. «DEL CARMEN»

QUAE IN PAROECIALI TEMPLO OPPIDULI PAUCARTAMBO, IN ARCHIDIOECESI

CUSCHENSI, COLITUR, A SUMMO PONTIFICE FACTA, INTEXITUR HISTORIA Ad perpetuam rei memoriam. – Per litteras, die altero Septembris, superiore anno datas, Venerabilis Frater Alcides Mendoza Castro, Archiepiscopus Cuschensis, de bono gregis, cuius est Pastor, sollicitus, vehementer orabat suo sui que cleri atque fidelium nomine ut, occasione capta itineris Nostri ad Americam Latinam, imaginem beatæ Mariæ Virginis vulgo «Nuestra Señora del Carmen», quæ in loco Paucartambo, in sua archidioecesi, assidue colitur, pretioso diademate coronaremus. Ac multa quidem ad rem addebat in Litteris Venerabilis ille Praesul: de antiqua videlicet veneratæ imaginis origine et historia; de prodigiis, quæ longa per saecula in filiorum utilitatem beatæ Virgo operata esset; de pietate populi erga tam benevolam Matrem potentemque advocatam; de laetissimis fructibus, qui e concesso beneficio colligi possent; de gaudio tandem, quod e Nostra benevolentia populus esset haustus. Precibus ergo tam ardentibus Venerabilis Praesulis Cuschensis concedere volentes, simulque populi eius Ecclesiae certum dilectionis Nostræ dare documentum, at maxime amorem erga beatissimam Christi Matrem, Parentem alteram omnium, estendere cupientes, die III Februarii, hoc anno, petita gessimus, quando Cuzci, in urbe Peruviana nobilissima, sollempni caerimonia caelestem Virginem caelorumque Reginam pretiosa corona redimiimus coram frequentissimo populo atque ampla Venerabilium Fratrum Episcoporum corona, fore fidentes ut, aucta filiorum pietate atque religione, maiora daret beatissima Virgo suæ signa bonitatis. Ne vero tantæ rei memoria et recordatio periret, has Litteras dari iussimus, ac publici iuris fieri. Contrariis nihil obstantibus. *Datum Romae, apud S. Petrum, sub anulo Piscatoris, die XIII mensis Februarii, anno MDCCCCLXXXV, Pontificatus Nostri septimo.* AUGUSTINUS Card. CASAROLI, a publicis Ecclesiae negotiis © Copyright 1985 - Libreria Editrice Vaticana

---

Copyright © Dicastero per la Comunicazione - Libreria Editrice Vaticana